



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:


- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.


## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

M. P. Lector Rubert.

Decreto Urbano 8. sobre la  
veneracion y culto de los ven.<sup>os</sup> no  
canonizados.









# VRBANI VIII.

PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI

## DECRETA

Seruanda in Canonizatione, & Beatificatione  
Sanctorum.

*Citation  
à Quinze  
nello in Tra  
catoru Deno  
culou.*

Accedunt Instructiones, & Declarationes

quas

<sup>MI</sup>EM · <sup>MI</sup>ET REV · S · R · E · CARDINALES

*Præsulesque Romanæ Curiae ad id muneris con-  
gregati ex eiusdem Summi Pontificis  
mandato condiderunt.*



*Decessu canonico tempore  
Alexandri 7. anno 1630. die  
27. Septembris. refert Tho.  
may Helbone, Theophrastus  
Jugurij. tom. 2. lib. 234. Sciti-  
one  
2. in fine. pag. 363.*


R O M A E,  
Ex Typographia Reu. Cam. Apost.

MDCXLII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
IN THE DEPARTMENT OF CHEMISTRY  
A. H. E. S. S. S.

CHICAGO, ILL., U.S.A.  
1952

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
DEPARTMENT OF CHEMISTRY  
CHICAGO, ILL., U.S.A.



# Instructiones, Declarationes, & Decreta seruanda in Cano- nizatione, & Beatifica- tione Sanctorum.



**A**D tollendos abusus, qui irrepre-  
rant, & in dies irrepere non ces-  
sabant in colendis quibusdam  
cum Sanctitatis, aut Martyrij fa-  
ma, vel opinione defunctis, an-  
tequam ab Apostolica Sede Ca-  
nonizationis, aut Beatificationis honore insigniti  
fuerint, Sanctissimus D. N. VRBANVS Diuina  
Prouidentia Papa VIII. de consilio Congregatio-  
nis Sanctissime Inquisitionis sub diebus 3. Martij  
& 2. Octobris 1625. edidit Decreta pro quorum  
declaratione, & omnimoda obseruantia de simili  
eiusdem Congregationis consilio promulgauit  
alia Decreta, de quibus in Breui expedito sub A-  
nulo Piscatoris die 5. Iulij. 1634.

A

De-



2  
Decreta S.<sup>m</sup> Inquisitionis edita sub die-  
bus 13. Martij, & 2. Octobris 1625.

**C**VM Sanctiss. in Christo Pater, & D. N. D.  
VRBANVS Diuina Prouidentia Papa VIII.  
die 13. Martij 1625. Decretum ediderit infra scripti  
tenoris, videlicet.

Sanctiss. D. N. sollicitè animaduertens abusus, qui  
irrepperunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis  
quibusdam cum sanctitatis, aut martyrij fama, vel  
opinione defunctis, qui, & si neque Canonizationis,  
neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica  
Sede, eorum tamen Imagines in Oratorijs, atque Eccle-  
sijs, alijsque locis publicis, ac etiam priuatis, cum lau-  
reolis, aut radijs, seu splendoribus proponuntur, mi-  
racula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eo-  
rum intercessionem accepta, in libris rerum ab ipsis gesta-  
rum enarrantur, & ad illorum sepulchra, Tabele,  
Imagines, & res alia ad beneficia accepta testificanda,  
& lampades, & alia lumina apponuntur. Volensque  
proinde huiusmodi abusus pro debito officij pastoralis  
occurrere, re etiam cum Illustriss. & Reuerendiss. D.D.  
Cardinalibus contra hereticam prauitatem in vniuer-  
sa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus,  
communicata, & maturè considerata, ac discussa, de-  
clarauit, statuit, & decreuit, ne quorumuis hominum,  
cum sanctitatis, seu martyrij fama (quantacunque  
illa

illa sit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud, venerationem, & cultum præferens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesijs tam secularibus, quam regularijs cuiuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros, eorundem hominum, qui sanctitatis, siue martyrij fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quacunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hæctenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulchra vetuit, etiam, ac inhibuit, tabellas, atque Imagines ex cera, aut argen-

to, seu ex alia quacunque materia, tam pictas, quam  
fictas, atque exculptas, appendi, seu affigi, & lampa-  
des, siue alia quacunque lumina accendi sine recogni-  
tione ab Ordinario omninò prout supra facienda, Se-  
dique Apostolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quod per superscripta præindicare in ali-  
quo non vult, neque intendit ijs, qui aut per commu-  
nem Ecclesie consensus, vel immemorabilem tempo-  
ris cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum  
scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia  
Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij, coluntur.

Ut autem præmissa diligentius obseruentur. Vniuer-  
sis, & singulis, tam Ordinarijs, quam hæretica pravi-  
tatis Inquisitoribus districtè præcipit, ut in sua quisque  
Diocesi, vel Provincia sedulo peruigilet, ne sine appro-  
bationibus prædictis, Imagines cum memoratis signis  
exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia  
prædicta publicentur, alia uè contra superius disposita,  
fiant. Transgressores uerò, si regulares fuerint, prina-  
tionis suorum officiorum, ac uocis actiue, & passiuæ,  
necnon, & suspensionis a diuinis: si uerò Clerici secu-  
lares, prinationis pariter suorum officiorum, suspen-  
sionis à diuinis, & ab administratione Sacramentorum,  
executioneque suorum Ordinum respectiue, alijsque ar-  
bitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum  
pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem  
libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpeserint,  
seu

seu quoquomodo effinxerint, vel formauerint, cateri-  
que Artifices circa præmissa qualitercunq. delinquentes,  
prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs, alijsq.  
etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis gravitatem  
eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio af-  
ficiantur. Contrarijs quibuscunque non obstantibus.

Et nè præmissorum ignorantia possit ab aliquo præ-  
tendi, voluit, ut Decretum huiusmodi, seu illius exē-  
plum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis,  
at in Acie Campi Floræ affixum omnes proinde arctet,  
atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum  
fuisset, quodque præsentium transumptis, etiam impres-  
sis manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius  
personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis,  
eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus habere-  
tur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Postmodum verò idem Sanctiss. D. N. à quibus-  
dā reuocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagi-  
nes, quas in posterum offerri contigerit recipere, & antea  
oblatas conseruare liceret, Sanctitas Sua, quæ tantum-  
modo voluit occurrendo abusibus, qui irrepere videban-  
tur, certiore parare viam ad eorum in terris gloriam,  
quorum Sanctimoniam diuinæ clementiæ placuerit ad-  
mirandis operibus illustrare, re prius cum Illustriss. &  
Reuerendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam præ-  
nitatem Generalibus Inquisitoribus communicata præ-  
senti Decreto declarauit. Quod sicut nunquam probi-  
buit

*bois, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, re-  
 ceptionemque Tabellarum, & Imaginum huiusmodi,  
 ita, ut nulli deinceps hæsitati locus relinquatur, sta-  
 tuit in presentiarum, & decernit, ut quoties ad ali-  
 quam Ecclesiam, aut Oratorium, locumue alium pu-  
 blicum sacularem, seu regularem Tabellas, & Im-  
 gines, aliudue simile quispiam detulerit, ac intercessione  
 hominum inter Sanctos, vel Beatos non ascriptorum,  
 quamuis cum martyrii, vel sanctitatis fama demor-  
 tuorum, optata, se impetrauisse dixerit, liceat Ecclesia-  
 sticis personis Ecclesiarum, locorumue prædictorum curæ  
 Præpositis, Tabellas, & Imagines, siue pictas, siue ex  
 quavis materia factas, atque alia quæcunque collata  
 gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumq.  
 qui conscij fuerint attestacionibus recipere, atque appro-  
 bantibus Ordinarijs ad quos referre statim omnia te-  
 neantur in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia, loco cu-  
 stodire, ibidemque iam amota collocare, & asseruare,  
 ut si quando Dominus talium virorum merita Beati-  
 ficacionis, seu Canonizationis honore in terris decorare  
 voluerit; extent huiusmodi sanctitatis qualescunque  
 probationes, Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinanda.  
 Contrarijs quibuscunque non obstantibus.*

*Io. Antonius Thomæsus S. Rom. & vniuers. Inquisit. Not.*

*Anno 1625. Indictione octaua, Pontificatus S. D. N. V R B A N I Diuina  
 Prouidentia Papæ VIII. die verò 30. mensis Octobris supradictæ litteræ,  
 siue Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apostolo-  
 rum Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est per me Brandimartem  
 Latinum Prælibati S. D. N. Papæ Curforem.*

**Alia**

7

Alia Decreta expedita per Breue  
5. Iulij 1634.

VRBANVS PAPA VIII.  
Ad perpetuam rei memoriam.

**C**AELESTIS Hierusalem Ciues, quorum gloriosis natalitijs sancta letatur mater Ecclesia, sicut huius sancte Sedis Apostolica ministerio à pijs vtriusque sexus Christifidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Ecclesie regimini diuina prouidentia prepositam pro suo præcipuo honoris Domus Dei zelo inuigilare, ne quid in personarum cum sanctitatis, aut martyrij fama, vel opinione defunctorum memoriam, siue cultum, inconsulta sancta Sede prædicta innouetur. Aliàs siquidem Nos sollicitè animaduertentes abusus qui irreperant, & irreperere non cessabant in colendis quibusdam cum sanctitatis, aut martyrij fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in Oratorijs atque in Ecclesijs, alijsque locis publicis, atque etiam priuatis cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus proponebantur, miracula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessionem accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, & ad illorum sepulchra tabelle, imagines, & res alia ad beneficia

ficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina  
 apponebantur, volentesque proinde huiusmodi abusibus  
 pro debito officij pastoralis occurrere, re etiam cum Vene-  
 rabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus contra  
 hereticam prauitatem in vniuersa Republica Christia-  
 na generalibus Inquisitoribus ab eadem Sede specialiter  
 deputatis communicata, & maturè considerata, ac di-  
 scussa, de eorundem Cardinalium consilio sub die xij.  
 Martij 1625. declarauimus, statuimus, & decreui-  
 mus; ne quorumuis hominum cum sanctitatis, seu  
 martyrij fama (quantacunque illa esset) defunctorum  
 imagines, aliaque presata, & quodcunque aliud vene-  
 rationem, & cultum presefrens, & indicans in Ora-  
 torijs, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesijs, tam  
 secularibus, quàm regularibus cuiuscunque religionis,  
 ordinis, instituti, Congregationis, aut Societatis appone-  
 rentur, antequàm ab Apostolica Sede canonizarentur,  
 aut Beati declararentur, & (si qua apposita essent) amo-  
 uerentur, prout eas statim amoueri mandauimus. Ac  
 pariter imprimi de cetero inhibuimus libros eorundem  
 hominum, qui sanctitatis, siue martyrij fama, vel  
 opinione, ut presfertur, celebres è vita migrauissent,  
 gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque bene-  
 ficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta con-  
 tinentes, sine recognitione, atque approbatione Ordina-  
 rii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac  
 doctos viros in consilium adhiberet, & ne deinde fraus,

Apo-

9

aut error, aut aliquid noui, & inordinati in re tam gra-  
ui committeretur, negotium instructum ad Sedem  
Apostolicam transmitteret, eiusque responsum expecta-  
ret, Revelationes uero, & miracula, aliaque beneficia  
supradicta, quae in libris horum hominum uitam, ge-  
staque continen. eatenus sine recognitione, atque appro-  
batione huiusmodi impressa erant, nullo modo approbata  
censeri uoluimus, mandauimusque. Ad horum homi-  
num sepulchra uetimus etiam, ac inhibuimus tabel-  
las, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia  
quacunque materia tam pictas, quam fectas, atque  
exculptas appendi seu affigi, & lampades siue alia que-  
cunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario  
omnino prout supra facienda, Sedique Apostolica re-  
ferenda, ac probanda. Declarantes quod per suprascri-  
pta prauidicare in aliquo noluimus, neque intendimus  
ijs, qui aut per communem Ecclesiae consensum, uel im-  
memorabilem temporis cursum, aut per Patrum, uiro-  
rumq. Sanctorum scripta, uel longissimi temporis scien-  
tia, ac tolerantia praefata Sedis Apostolicae, uel Ordina-  
rii celebrantur. Cumque postea die 2. Octobris eiusdem  
anni 1625. a quibusdam reuocari in dubium accepisse-  
mus, an tabellas, & imagines quas in posterum offerri  
contingeret, recipere, & antea oblatae conseruare liceret.  
Nos qui tantummodo uoluimus occurrere abusibus,  
qui irrepere uidebantur, certiore parare uiam ad eo-  
rum in terris gloriam, quorum sanctimoniam diuina,

B

cle-



clementie placuerit admirandis operibus illustrare, re-  
 prius cum eisdem Cardinalibus communicata de simili  
 eorum consilio declarauimus, quod sicut nunquam pro-  
 hibuimus, nec intentionis nostra fuit prohibere oblatio-  
 nem, receptionemque tabellarum, & imaginum huius-  
 modi, ita ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueret-  
 tur, statuimus, & decreuimus, ut quoties ad aliquam  
 Ecclesiam, aut Oratorium, locumue alium publicum  
 secularem, seu regularem tabellas, & imagines, aliudue  
 simile quispiam deferret, ac intercessionem hominum inter  
 Sanctos, uel Beatos non ad scripturam quantumuis cum  
 martyrij, aut sanctitatis fama de mortuorum optata se  
 impetrauisse dicere liceret ecclesiasticis personis Eccle-  
 siarum, locorumue predictorum cure prepositis tabellas,  
 & imagines siue pictas, siue ex quauis materia factas,  
 atque alia quecumque collate gratie fidei faciem simul  
 cum deferentis, aliorumque qui conscii fuissent, attesta-  
 tionibus recipere; atque approbare Ordinariis, ad quos  
 referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo for-  
 sum ab Ecclesia loca custodire, ibidemque iam amota  
 collocare, & asseruare, ut si quando Dominus talium  
 uirorum merita Beatificationis, seu Canonizationis  
 honore in terris decorare uoluisset, extarent huiusmodi  
 sanctitatis qualescunque probationes Apostolica Sedis  
 iudicio tunc examinande. Demum uero, ut eiusmodi  
 Decreta obseruarentur indubie, ac omnimodam sorti-  
 tirentur executionem, cum eisdem Cardinalibus repa-

ter

ter communicata, deque eorundem consilio præmissis ad-  
didimus, statuimus, decreuimus, atque declarauimus,  
ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab A-  
postolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super ali-  
cuius utriusque sexus cum sanctitatis, aut martyrii fa-  
ma, vel opinione defuncti miraculis, reuelationibus,  
alijsue eiusmodi sanctitatem redolentibus ex integro informa-  
tiones quoquomodo reciperet, aut processum instrueret,  
vel huc usque receptas informationes, instructumue  
processum ulterius prosequeretur, nisi postulator prius  
per legitimas iuridice susceptas probationes circa perso-  
nam eius de cuius miraculis, reuelationibus, alijsue re-  
bus gestis sanctitatem præferentibus ageretur, præscri-  
ptam in prefato nostro Decreto formam omnino seruata  
existisse docuerit, & nisi postea successiue idem Ordina-  
rius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus  
diligenti præhabita disquisitione circa eandem personam  
supracitato Decreto nullatenus contrauentum esse, rite  
pronunciauerit, utque id inuiolabiliter obseruetur, sta-  
nuimus insuper, ac decreuimus ne transmissi ad Urbem  
quocumque huiusmodi processus à Congregationis Sa-  
crorum Rituum Secretario, minusue à sanctæ Fidei Pro-  
motore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa Sa-  
crorum Rituum Congregatione, alio seiunctim oblato  
authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica  
Sede specialiter delegatum, rite, ac recte ut præmittitur  
cognouisse, ac pronunciauisse prælibato Decreto nequaquam.

contraitum esse plenè constiterit, ac deinde à Nobis iudi-  
 cialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisse.  
 Insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem  
 cursum de quo in prædicto Decreto, intelligi declaravi-  
 mus esse tempus centum annorum metam excedens, de-  
 que his, atque infra scriptis omnibus, quæ in his Decretis  
 disposita, & ordinata sunt, aliqua suboriens difficultate,  
 Ordinarijs locorum, & delegatis Apostolicis quibuslibet  
 omnem omnino interpretandi facultatem ademinimus,  
 & quæ Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaq.  
 responsum expectarent, mandavimus eisdem, & alias  
 prout in Decretis desuper editis plenius continetur. Qua-  
 re inviolabili Decretorum prædictorū observationi quan-  
 tum cum Domino possumus consulere volentes Motu  
 proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione no-  
 stris, de quæ Apostolica potestatis plenitudine, Decreta præ-  
 dicta, cum omnibus, & singulis in eis contentis & no-  
 presentium perpetuò approbamus, & confirmamus, il-  
 lisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus,  
 omniaque, & singula Decreta huiusmodi ab omnibus  
 ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit,  
 observari omnino præcipimus sub pœna nullitatis qua-  
 rumcunq; informationum, processuum, ac interpreta-  
 tionis aliter, quàm prævia supra scripta præcognitione,  
 instructorum, eorumque admissionis, publicationis, ac  
 interpretationis, itaut earundem informationum rece-  
 ptiones, processuumve instructiones, necnon eorum ad-  
 mis-

missiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non instructis, non admissis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus abicubi unquam haberi debeat. Decernentes presentes litteras, & in eis contenta quacunque etiam ex eo quod quicumque in premissis, seu eorum aliqua interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes ad præmissa vocati, & auditi, minusque causa propter quas eadem præsentis emanarint, adductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, & inualiditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quouis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali; siue etiam ex eo quod in premissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia seruan, & adimplenda, seruata, & adimpleta non fuerint, aut ex quouis alio capite à iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultantæ, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocunq. alio colore etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel eausa, etiam quantumvis iusta, rationabili, & privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi, & alijs superioribus expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci

14  
reduci, vel aduersus illas restitutionis in integrum, ap-  
pitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris,  
aut aliud quodcumque iuris, facti, gratia, vel iustitia,  
remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut im-  
petrato, vel concessio quempiam, vti, seu se iuuare in  
iudicio, vel extra, posse, neque ipsas presentes sub qui-  
busuis similibus, vel dissimilibus gratiarum reuocatio-  
nibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs di-  
spositionibus pro tempore quomodolibet faciendis com-  
prehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque va-  
lidas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque ple-  
narios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per  
omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet  
spectabit in futurum inuiolabiliter observari, sicque, &  
non aliter in premissis omnibus, & singulis per quoscun-  
que Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum  
Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales,  
etiam de Latere Legatos, & Nuncios, & alios quauis  
auctoritate, & potestate fungentes in quauis causa, &  
instantia, sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudi-  
candi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubiq.  
iudicari, & definiri debere irritum quoque, & inane si focus  
super his à quoquā quauis auctoritate scienter, vel igno-  
rante contigerit attentari. Quodcirca Venerabilibus fra-  
tribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis,  
& alijs locorum Ordinarijs, necnon dilectis filijs nostris, &  
Apostolicæ Sedis Nuncijs, ac hæretice prauitatis Inqui-  
sito-

sioribus ubilibet existentibus per Apostolica scripta  
 mandamus, ut statim atque presentes littere nostrae ad  
 eorum, & cuiuslibet eorum notitiam pervenerint, in sua  
 quisque respectivè diocesi, vel provincia sedulo perui-  
 gilet, ne sine approbationibus praedictis imagines cum  
 memoratis signis exponantur, aut miracula, revelatio-  
 nes, ac beneficia praedicta publicentur; aliae contra su-  
 perius disposita fiant; transgressores vero si regulares fue-  
 rint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae,  
 & passivae, necnon suspensionis à divinis, si vero Cleri-  
 ci seculares privationis pariter suorum officiorum; sus-  
 pensionis à divinis, & ab administratione Sacramento-  
 rum, executioneque suorum ordinum respectivè, aliisque  
 arbitrio praedictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum  
 pro modo culpe infligendis pœnis plectendo. Qui autem  
 libros impresserint, aut imagines pinxerint; sculps-  
 erint, seu quocummodo effinxerint, vel formaverint, ceterique  
 artifices circa praemissa qualitercumque delinquentes pre-  
 dicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs, aliisque  
 etiam corporalibus pœnis iuxta criminis gravitatem eo-  
 rundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio affi-  
 ciantur. Contradietores quilibet, & rebelles, ut pra-  
 missis non parentes per sententias, censuras, & pœnas  
 ecclesiasticas, aliaeque opportuna iuris, & facti remedia,  
 omni & quacumque appellatione, recursum, & reclama-  
 tione remotis compescendo, invocata etiam ad hoc si opus  
 fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus qua-  
 tenus

tenus opus sit rec. me. Bonifacij Papa VIII. etiam præ-  
 decessoris nostri de cunctis, & in Concilio generali edita,  
 de duabus dietis, ceterisque in contrarium facientibus  
 cunque. Ut autem presentes, & in eis contenta qua-  
 cunque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis  
 de eis ignorantiam prætereundere possit, volumus pariter  
 & mandamus, quod eadem presentes per aliquem, seu  
 aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiam Lateranensem, &  
 Basilicam Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancel-  
 lariam Apostolicam valvas, ac in acie Campi Floræ affigā-  
 tur, & publicentur, & cum inde amovebuntur, earun-  
 dem exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic  
 publicate, & affixæ post duos menses à die publicationis  
 computandos homines, & singulos quos concernunt, per-  
 inde afficiant, & ardeant, ac si unicuique illorum perso-  
 naliter intimata, & notificata fuissent, quodque illarum  
 transumptis impressis sigillo alicuius persone in dignitate  
 Ecclesiastica constituta munitis, & manu alicuius No-  
 tarii publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur,  
 quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel oste-  
 nsa. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub An-  
 nulo Piscatoris, die 5. Julij 1334. Pontificatus Nostri  
 Anno Undecimo.

M. A. Maraldus.

Anno 1334. Indictione secunda, Pontificatus S. D. N. VRBANI Divini,  
 Providentiæ Papæ VIII. die vero 5. Septembris supradictæ tertie, hæc  
 Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis in  
 Laterano, & Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ. vt,  
 moris est per me Alexandrum Latinum Prælibati S. D. N. Papæ Curia  
 Pro D. Mag. Curf. Dominicus Mag. Curf.

VE-

**V**ERVM quia aliqui adhuc super illis hæsitare non cessabant, idem Sanctiss. D. N. infrascriptas Declarationes, ac insuper alia Decreta inferius adnotata per nonnullos Eminentissimos, & Reuerendissimos DD. S. R. E. Cardinales, & RR. PP. DD. Romanæ Curia Prælatos diligenter examinata fieri mandauit.

Imagines eorum, qui cum Sanctitatis, seu Martyrij fama obierunt, non apponantur in Altari publico, vel priuato, & multo minùs cum Diadematibus, laureolis, aut radijs, seu splendoribus, vel alio quocunque modo venerationem, & cultum præferente, & indicante. Hæ enim prohibentur apponi non solum in Altaribus prædictis, sed etiã in Oratorijs, vel Ecclesijs, aut locis publicis, seu priuatis quibuscunque, antequam à Sede Apostolica canonizentur, vel Beati declarentur.

Responsum, quod à Sede Apostolica in vim prædictorum Decretorum expectare debent Ordinarij locorum, vt imprimi possint libri continentes gesta, miracula, seu reuelationes eorum, qui cum prædicta fama Sanctitatis, seu Martyrij decesserunt, non detur, nisi cum infrascriptis protestationibus in dictis libris, & historijs inferendis. Declarando etiam expressè, quod tales libri, seu historiae, licet ab Ordinarijs reuisæ, & post Sedis Apostolicæ responsum approbatæ, non faciant

C

maio



maiolem gradum probationis in ordine ad Canonizationem, seu Beatificationem, quam quæ aliàs absquè tali approbatione de iure fecissent, non obstante quocunquè longissimi temporis cursu.

## Protestatio Auctoris in principio libri imprimenda.

**C***Vm Sanctiss. D. N. VRBANVS Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemq. confirmauerit die 5. Iulii anno 1634. quo inibiuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunq. beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentis sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censi approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolute, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penès Auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo profiteor me haud alia sensu quicquid*

quid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab illo velle quàm quo ea solent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholice Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolica nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

## Sequens verò in fine Libri.

**L**ECTOR aduerte in Elogijs Virorum Illustrium quos hoc libro complexus sum nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: presagia futurorũ, Arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitus; demum nonnullis sanctimonie, vel Martyrij videor appellatione tribuere. Verũ hæc omnia ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tãquàm ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tãquàm, quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum Anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiusdem Decreti à Sanctiss. D. N. D.

*VRBANO Papa VIII. anno 1631. factam seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut martyrij inducere, seu augere, nec quicquam eius estimationi adiungere, nullumquè gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocunquè longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quam decet eum, qui Sancte Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi.*

*Ego N. N.*

Particularis Processus cum subsequenti pronuntiatione Ordinarij, seu Apostolicæ Sedis Delegati, sicut præcedere debet ex forma prædictorum Decretorum super cultu non adhibito, ita etiam præcedere debet, & ab eisdem respectiue faciendus est, quando aliquis Postulator allegaret, se versari in vno ex casibus exceptuatis; nempe quod cultus fuerit adhibitus ex Indulto Summorum Pontificum, vel permissione Sacræ Congregationis, vel per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumquè Sanctorum scripta, vel  
lon-

longissimi temporis scientia, atque tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij, vt semper appareat in primis fuisse satis factum supradictis Decretis.

Votiuæ Tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, quæ in secreto retineri mandantur, etiam in Sacratio custodiri permittuntur, secreto tamen, & eo modo, quo cultum, & venerationem non præferant.

Sub prohibitione facta Secretario Congregationis Sacrorum Rituum, necnō Sanctæ Fidei Promotori, ne aperiant processus vndecunque ad Curiam transmissos, nisi seruata forma tradita in prædictis Decretis, comprehendi declaratur etiam Prothonotarium Apostolicum ad huiusmodi munus pro tempore destinatum, & alium quemcunq.

**I**N Causis Canonizationum, & Beatificationum propter earū grauitatem solet Sedes Apostolica procedere cum magna maturitate, & hoc vt melius adimpleatur, pro illis referendis, & discutiendis mandauit Sanctissimus D. N. tres Congregationes de mensibus Ianuarij, Maij, & Septembris coram Sanctitate Sua fieri debere, prohibens agi de dictis Causis extra præfatas tres Congregationes, in quibus, vltra Cardinales Congregationi S. Rituum Præpositos, & Prothonotarium Apostolicum, Sacristam Sanctissimi, Promotorem Fidei, & Se-

& Secretarium eidem Congregationi assistentes, interesse debeant etiam illi Rotæ Auditores, quibus contigerit aliquam ex causis proponendis fuisse commissam; Et hi omnes præter Congregationis Secretarium, & Fidei Promotorem non admittantur in Cōgregatione priusquam Causæ fuerint per Cardinales propositæ, & postea eorum votis patefactis à Congregatione recedant, ad hoc ut Cardinales possint liberiùs examinare merita Causæ.

Consultores S. Rituum Congregationis debeant in qualibet ex dictis Congregationibus adesse præ foribus Aulæ Pontificiæ, vbi Congregatio celebrabitur, ut si Sanctitati Sux placuerit illos audire super aliquo articulo, seu difficultate possint præsto esse.

Ad hoc ut in dictis Congregationibus coram Sanctitate Sua habēdis ordinatè, dilucidè, ac breuiter procedatur, in vnaquaque ex eis referantur per Cardinales tres, vel ad summum quatuor tantum Causæ, & saltem per quindecim dies antecedentes dictis Congregationibus coadunari debeat altera particularis S. Rituum Congregatio, vel plures (si opus fuerit) in Palatio antiquioris Cardinalis S. Congregationis Præpositi tunc temporis in Vrbe præsentis, in qua Cardinales ponētes Causarum concordato prius facto cum Promotore Fidei

dei, illoq̄ præsentato Sanctitati Suae, ac transmisso Cardinalibus S. Congregationis, Prothonotario; Rotæ Auditoribus interesse debentibus, Sacristæ, & Confultoribus, referant Causas pro faciliori resolutione postea facienda coram Sanctitate Sua.

Quando propter alias vrgentes occupationes non poterit Sanctitas Sua vacare alicui ex dictis Congregationibus, vt supra destinatis, mandauit, vt Causæ huiusmodi proponantur coram se in mense immediatè sequenti, & in die ab eo deputando, declarans suam voluntatem omninò esse, vt quolibet anno tres conuocentur Congregationes pro dictis Causis discutiendis.

Si in aliqua ex dictis tribus Congregationibus post discussionem, quæ erit diligentissimè facienda super vnoquoque processu circa illius validitatem, virtutes, ac miracula alicuius Serui Dei non supererit tempus Cardinalibus referendi statum, & merita alicuius causæ, poterit de ea agi, & ad expeditionem procedi per Cardinales in prima eorū Cōgregatione ordinaria immediatè sequenti post quamlibet ex dictis tribus Congregationibus, facta deinde relatione per Secretariū Sanctitati Suae.

Idemq̄. seruari permittitur circa cognitionem, & examen miraculorum, quæ coram Sanctitate Sua erit referenda, si in aliqua ex dictis Congregationibus discuti, vel expediri non potuerit.

Per-

Permittit insuper Sanctissimus, vt in qualibet ex Congregationibus ordinarijs discutiatur, & terminentur omnia, & singula concernentia declarationē partitionis supradictis Decretis de cōsilio Cōgregationis Sanctissime Inquisitionis à Sanctitate Sua editis, aperitionem omnium, & singulorum processuum, deputationem, & subrogationem Iudicum, & in his similia, dummodo de resolutionibus habitis super prædictis fiat per dictum Secretarium relatio Sanctitati Suæ.

Iuramentum præstari solitum in Congregatione Sanctissime Inquisitionis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sanctissimo reſeruata, mandauit Sanctitas Sua, quod omninò præstetur tam per Cardinales Congregationis S. Rituum, & per duos familiares ab vnoquoq. eorum deputant, quàm per Rotæ Auditores, & vnũ pro quolibet eorum arbitrio eligent, pro videndis, & transcribendis scripturis necessarijs, & opportunis, ac etiã per Prothonotarium, Sacristam, Promotorem Fidei, & Consultores de non reuelandis his, quæ in prædictis Congregationibus tractabuntur, à qua excommunicatione Sanctissimus declarauit, & voluit nulli competere facultatem absoluendi, neque etiam maiori Pœnitentiaro, sed Sanctitati Suæ, & successoribus dumtaxat, sub quo Iuramento, & pœna voluit etiam comprehendi omnes supra-

pra nominatos, qui receptis literis cōmendatitijs, supplicibus libellis, aut alijs similibus officijs or-  
teus super dictis Causis, ea non reuelauerint. Se-  
cretario Congregationis ad effectum deducendi  
ad notitiam Sanctitati Sux.

## Forma Iuramenti.

**N**OS iufraſcripti S. R. E. Cardinales Congregatio-  
nis Sacrorum Rituum tactis per Nos Sacroſan-  
ctis Euangelijs coram nobis poſitis iuramus, & promit-  
timus fideliter exercere officium noſtrum in his, qua pro-  
ponuntur in Congregationibus SS. Rituū habendis corā  
Sanctiſſimo, & non reuelare, nec loqui, niſi cum alijs  
dictæ Congregationis Cardinalibus, tribus antiquioribus  
Rotæ Auditoribus, Conſultoribus, & Officialibus pradi-  
dictæ Congregationis, ac duobus familiaribus ab uno-  
quoque noſtro deputandis, qua fiunt, aut tractabuntur,  
non ſolum in Causis ſpectantibus ad dictā Congregatio-  
nem, ſed etiā in alijs ad illā non ſpectantibus in d. Congrega-  
tione coram Sanctitate Sua occasione diſcuſſus de rebus  
Magnatum, Religionum, vel alias grauioribus occur-  
rentibus, ſub pœna periurij, & excommunicationis late  
ſententia, à qua non niſi à Summo Pontifice dumtaxat  
(excluſo etiā Maiori Pœnitentiario) pratetquam in ar-  
ticulo mortis, abſolui poſſimus, & ſub eadem pœna  
periurij, & excommunicationis, de qua ſupra, iuramus

D

ſimi-



similiter, & promittimus, quod si per literas, aut suppli-  
 ces libellos, sive etiam orationes, vel per interpositas per-  
 sonas cōmendationes à quocumque eorum cuiusvis digni-  
 tatis, & præminentie nobis factæ fuerint de Causis per-  
 tractandis in dictis Congregationibus, prefatas literas  
 scienter non aperiemus, sed clausas, & sigillatas man-  
 dabimus consignari in manibus Secretarij dicte Con-  
 gregationis: si verò non informati de contentis in predi-  
 ctis literis contigerit per Nos aperiri, & legi, sic eadem  
 continebunt similes cōmendationes tantummodo, parit-  
 ter eas transmittemus ad eundem Secretarium; Verùm  
 si de alijs negocijs in predictis literis pertractabitur, man-  
 dabimus transferri illam tantum partem continentem  
 cōmendationem, diem data, & locum, necnon etiam  
 subscriptionem illius, qui negocium cōmendavit, quam  
 peruenire curabimus ad manus predicti Secretarij, atq.  
 eisdem literis non rescribemus, nisi de mandato d. Con-  
 gregationis, & saltem in ipso actu notandi propalabi-  
 mus à quo, vel à quibus Causa fuerit Nobis cōmenda-  
 ta. Et in Nos prefati Cardinales promittimus, &  
 iuramus, sic Nos Deus adiuet, & hæc Sancta Dei  
 Evangelia.

Idem Iuramentum præstabitur ab Officialibus,  
 Rotæ Auditoribus, Consultoribus, & familiaribus  
 mutatis mutandis.

SAN-

**S**anctitas Sua expresse prohibuit S. Rituum Congregationi, ne deinceps procedat in Causis Seruorum Dei ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, aut declarationis Martyrij, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius, quinquaginta etiam lapsis quinquaginta annis de similibus Processibus tam factis, quam faciendis agi vetuit, nisi habita prius, & expresse obtenta licentia à Sanctitate Sua, vel eius Successoribus.

Sub Decreto huiusmodi vult comprehendi etiam Causas, in quibus modo reperiuntur expeditæ Litteræ Remissoriales, & Compulsoriales, ac omnes alie nunc pendentes, quæ adhuc expectant perfectionem suam, & complementum à facto futuro finalis determinationis. Quod vt firmius obseruetur, insuper iubet, vt si memoriale super hoc directum Congregationi porrigatur cum rescripto Sanctitatis Suae, vt aliqua ex huiusmodi Causis ad præfatos effectus examinetur, nullum sortiatur effectum, nisi in eodem rescripto specialis prædictæ prohibitionis derogatio reperiatur.

Verùm ne pereant huiusmodi dilationis occasione probationes, permittit Sanctitas Sua, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, vt agi possit de prædictis Processibus, siue de alijs, auctoritate Ordinaria fabricatis, vel fabricandis ad effectum deliberandi, an per Sedem Apostoli-

cam debeant cōcedi Literæ remissoriales in genere, quibus obtentis, & fabricatis super eis Processibus seruatis seruandis, illisq. Sacræ Rituum Congregationi præsentatis, permittit pariter Sanctitas Sua, vt in Sacra Congregatione discutatur de eorum validitate, ac etiam de reuertentia in ordine, & ad effectum tantum cognoscendi, an sit procedendum ad Processus in specie. Et Processibus in specie completis, & Sacræ Congregationi delatis, videatur tantum de illorum validitate, quibus definitis, ijdem Processus per Secretarium claudantur, & obfignentur Sigillo Sacræ Congregationis, non aperiendi donec veniat plenitudo temporis dictorum quinquaginta annorum, quo completo nullo modo de eis agi possit, nisi expressè manderetur à Summo Pontifice.

**I**N PROCESSIBVS faciendis seruari solent omnia disposita in Ceremoniali, seu Rituali Romano sub Leone X. impresso, ac tradita per Hostien. & alios DD. in cap. i. de reliq. & venerat. Sanctior. Nec prius Sedes Apostolica moueri solet, quam Reges, Principes, & aliæ personæ authenticæ, & honestæ instanter supplicauerint Summo Pontifici, & tunc etiam non statim, sed expectare, quod diu pulsetur; nam si perdurabunt miracula, & supplicantium instantiæ, præsertim  
spon-

spontaneæ, tunc Summus Pontifex (si ei videbitur) per Commissionem manu Sanctitatis Sux signatam, citato Promotore Fidei, committit Causam Congregationi SS. Rituum, in qua in primis, & ante omnia cognosci debet de adimplemento dictorum Decretorum de consilio Congregationis Sanctissimæ Inquisitionis à Sanctissimo D. Nostro emanatorum.

### Forma Commissionis Generalis.

**B**EATISSIME PATER Ad eò hætenus aucta, in diesquè magis augetur fama Sanctitatis Serui Dei N. de N. una cum miraculis, quæ Omnipotens Deus eius meritis, & intercessione concedere dignatur, ut concepta in diuersis Mundi partibus, maxime verò N. N. erga eum deuotione, à plerisque in eorum necessitatibus inuocetur, & plurimorum etiam grauium Virorum existimatione Beatificationis, & Canonizationis honore dignus, intercedente infallibili S. V. iudicio reputatur. Ex quibus motus, præq. intentione, ac particulari erga d. Seruū Dei N. deuotione ductus Sereniss. Rex N. (Aut alius Magnus Princeps N. vel plures Principes N. N. qui pro tali Beatificatione, vel Canonizatione instent) per suas literas instanter petijt S. V. ut ad eiusdem N. Beatificationem, & Canonizationem procedere dignaretur. Propterea cum iam sint confecti  
Pro-

Processus auctoritate Ordinaria super sanctitate virtutibus, & Miraculis d. Serui Dei N., illique iam ad Urbem transmissi, ad effectum eisdem Processus presentandi in S. Rituum Congregatione. Pro parte deuoti S. V. Oratoris N. de N. Procuratoris specialiter in hac causa à prefato Serenissimo Rege N. actiā ab N. & N. (Quæ debent esse personæ authenticæ, & honestæ, nempe Vniuersitates, Capitula, Religiones, & similes) qui pariter eidē S. V. pro Beatificatione, & Canonizatione d. Serui Dei N. instantiam faciunt, constitui humiliter eidē S. V. supplicatur, quatenus dignetur causam, & causas Beatificationis, et Canonizationis, necnō cognitionem Virtutum, Morumque, & Miraculorum, ac publice fame sanctitatis d. Serui Dei N. Populorumq. erga ipsum deuotionis cum suis, & illarum incidēt, dependēt, emergēt, annexis, & connexis eidem S. Rituum Congregationi committere, & mandare, cum facultate in primis, & ante omnia aliquem ex Eminentiff. DD. Cardinalibus eiusdem S. Congregationis in cause Relatores deputandi, et Processum ad pariter factum super obseruatiā Decretorū à S. V. in Congregatione Sanctiss. Inquisitionis super nō cultu editorū (quatenus factus sit) recipiēt, aperiri, & citari, & audiri. Fidei Promotore, discutiēt, ex eodemque declarandi dictis Decretis sufficienter pariter fuisse (Quatenus verò dictus Processus super obseruatiā dictorum Decretorum ad patentes factus non sit) illius confectioem, si in Curia adierunt

rant præbationes commissariorum Eminentiſſ. D. Cardinalis  
 S. V. Vicario, si verò extra Curiam aliorum Episcoporum,  
 ut ad eiusdem Processus ad partem confectorem iuxta  
 tenorem eorundem Decretorum deueniat, ad effectum  
 illum postea in eadem Congregatione presentandi; &  
 audito R. P. D. Fidei Promotore discutiendū, & ex eo ut  
 supra declarandi; factaque per eandem S. Congregatio-  
 nem declaratione suprascriptis Decretis sufficienter par-  
 tum esse, eaque post relationē S. V. per R. P. D. Secreta-  
 rium Congregationis facien, ab eadem S. V. approbata,  
 ad Processum auctoritate ordinariā confectorum, &  
 coram ea legitime presentandorum, aperitionem, dis-  
 cussionem, ac diligentem examinationem ad relationem  
 Eminentiſſ. Cardinalis in ea deputati, audito pariter, &  
 citato D. Promotore Fidei denunciandi, & si ex illis eidem  
 S. Congregationi visum fuerit, & S. V. placuerit, posse  
 ad generalem inquisitionem super eadem sanctitate Vi-  
 tue, Virtutibus, & Miraculis Apostolica auctoritate  
 denonari, eidem Sacra Congregationi pariter indulgere,  
 & liberam facultatem concedere, ut aliquibus Episco-  
 pis Provincia N. committere valeat, ut per se ipsos in-  
 quirant de fama, & deuotione Populi, de miraculis, &  
 alijs denunciandis d. Serui Dei N. in genere tantum, &  
 non in specie, & quoad famā, si vigeat de presenti, &  
 ad hunc effectum aliquot articulos ad eosdem Episcopos,  
 transmittat, super quibus, & super Interrogatorijs per  
 Promotorem Fidei conficiendū, debeant per ipsasmet, &

non

*non alios, Testes examinare cum interuentu Subpromotoris Fidei per eundem Promotorem in Curia nominandi, & cum potestate citandi, & inhibendi, etiam sub censuris &c. & etiam per edictum &c. Contradictores &c. Inuocato &c. & alijs facultatibus opportunis. Quibus peractis, ea, quae inuenerint, fideliter rescribant, & Processum huiusmodi ad eandem S. Congregationem sub sigillo clausum per fidelem Nuncium transmittant cum ipsorum literis, in quibus significant, an eis videatur, quod praedictis Testibus, & eorum depositionibus sit danda fides, & quod super veritate eorundem sit in specie committenda inquisitio; quo Processu recepto, & per S. Congregationem discussa, eadem S. Congregatio S. V. referat, quid de eius relevantia sentiat ad effectum, ut S. V. statuere possit, An sit deueniendum ad inquisitionem specialem. Quod si S. V. ei locum esse iudicauerit, eidem Congregationi mandare, & iniungere, quatenus eisdem Episcopis N. N. N. vel alijs Episcopis committere valeat, ut veritatem super d. Serui Dei N. fama, deuotione Populi, vita sanctitate, puritate fidei, miraculis, & alijs à Sacris Canonibus requisitis, exactè, fideliter, & prudenter secundum articulos, & interrogatoria in Curia per Promotorem Fidei danda, & illis transmittenda; in specie inquirant, & iura, & monumenta exhibenda coram ipsis recipiant cum interuentu Subpromotoris per eundem Fidei Promotorem in Curia nominandi, & quicquid per inquisitionem specialem huiusmodi inuenerint, suis sigillis*

*inclu-*

inclusum caue ad eandē S. Cōgregationē transmittant, ut deinde omnib<sup>9</sup> mature examinatis decernat, An Processus huiusmodi ad Rotæ Auditores sint transmittendū, ut forment rubricas, suamq. faciant relationem de his, quę in dictis Processibus continētur absque tamen prolatione voti consultiui, alibi quam in S. Congregatione coram S. V. habent, & eadem postea S. V. referatur, An talia sint, propter quę ad Canonizationem dicti Serui Dei N. iuxta Sacrorū Canonum Decreta, & S. R. E. Riturū deueniri possit cum facultate literas Remissoriales, & Compulsoriales super premissis citato d. fidei Promotore ad quascunquē mundi partes decernendū, & relaxandū etiā in Curia; lura, & monumenta recipiendū. & si opus fuerit testes per Eminētiss. D. Card. Vicariū, seu Episcopos, & in loco ab eo deputan. iuxta Decreta S. V. examinari facien. prauia citatione, & cum interuentu d. Promotoris, vel eius Subpromotoris super iisdē articulis, et interrogatorijs sub censuris, pænis, & alijs facultatibus antedictis, aliaquē omnia, & singula in premissis, & circa ea quomodolibet, necessaria, & opportuna facien. geren. & exequen. Non obstan. Constitution. etiam in vniuersalibus, & Synodalibus Concilijs editis, & alijs ordinationibus Apostolicis, Regulis Cancellarię, ceterisque contrarijs quibuscumquē; Statum etc. tenores etc. pro plenē & sufficienter expressis habent. etc.

Addendum, vel minuendum prædictę Commisioni iuxta statum Cause, & contingentiam facti,

E

vel



vel formandæ Commissiones particulares in vnoquoque articulo (prout Sanctissimo videbitur).

Aduertendum est quod in omnibus actis citari debet in Vrbe Promotor fidei iuxta formam Breuis à Sanctissimo D.N. eidem concessi, & extra Urbem Subpromotor ab eodem Promotor deputandus.

### Breue Promotoris Fidei.

## VRBANVS PP. VIII.

**D**ILECTE fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Cupientes Causas Beatificationum, & Canonizationum Sanctorum eâ, qua par est circumspectione tractari, ac de tua singulari pietate, doctrina, & Catholica Religionis zelo plurimum in Domino confisi, Te, qui nostræ Consistorialis Aule, & Fisci, & Camera Apostolica Aduocatus existis, & quem, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsquè Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium dumtaxat consequendi, harum serie absolui-  
mus, & absolutum fore censemus, in Promotorem fidei, cum facultate quibuscumquè Congregationibus, qua super Canonizationibus, & Beatificationibus huiusmodi  
tam

tam coram Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, quam etiam Nobis fieri interueniendi, & in eis votum consultiuum ferendi, ac obiectiones super materiis pro tempore occurrentibus faciendi, & super eis tam in facto, quam in iure scribendi, & quando opus fuerit tam Nos, quam ad Cardinales oretenus informandi, & cum hoc, ut tu deinceps in omnibus Processibus super dictis Canonizationibus, & Beatificationibus conficiendis, & in singulis actis faciendis tanquam pars formalis, & ad instar Commissarij Camera, & Fiscij Procuratoris citari debeas, quodue tu interrogatoria cum protestationibus, que tibi videbuntur necessarie dare, & ex quibus testimonium, & compulsationibus iurium, & scripturarum quarumcunque, confectioibus planctarum, visitationibus sepulchrorum, & alijs quibuscunque tam in Romana Curia, quam in qualibet alia parte Orbis Terrarum coram quibuscunq; Iudicibus, etiam Delegatis per te, seu per alium Subpromotorem, cum facultatibus, que tibi opportuna videbuntur a te deputandum interuenire valeas. Quodque Subpromotorem unum eligere possis, et deputare ad tuum beneplacitum in Romana Curia, qui Processus hucusque factos, vel alios infuturum faciendos, tam auctoritate Ordinaria, quam Apostolica videre, ac in facto scribere, et comparere possit in actis coram Notario, et Secretario d. Congregationis, et etiam coram ad Cardinibus ad concordandum factum super dubijs in Congregationibus proponendis, et alia faciendi nomine,

et arbitrio tuo, quæ tibi videbuntur opportuna, et neces-  
 saria, et cum quo etiam conferre possis difficultates, et  
 alia omnia, quæ in dd. Congregationibus tractabuntur,  
 recepto tamen prius à te, & ab eo solito iuramento de-  
 seruando secretum et cum hoc insuper, ut tibi copia  
 authentica Processuum factorum, ac omnium scriptura-  
 rum producendarum, ac informationum faciendarum  
 super dubijs tempore opportuno disputandis ad effectum  
 ea videndi, et considerandi, eisquè obiectiones, et re-  
 sponiones oportunas faciendi detur. Alioquin Tu pro-  
 positiones impedire valeas, ac demùm cum omnibus,  
 et singulis alijs facultatibus Promotoribus huiusmodi de  
 Iure, Usu, aut consuetudine competentibus Apostolica  
 auctoritate tenore presentium deputamus. Mandantes  
 propterea in virtute sanctæ Obedientiæ omnibus, et sin-  
 gulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut te  
 in Promotorem prædictum iuxta tenorem presentium reco-  
 gnoscant, ac decernentes presentes literas validas, fir-  
 mas, et efficaces existere, et fore, ac omnibus, ad quos  
 spectat, et pro tempore spectabit, inuiolabiliter obser-  
 uari. Sic què per quoscunque Iudices Ordinarios, et  
 Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores  
 et S. R. E. Cardinales, et Congregationes prædictas iudi-  
 cari, et diffiniri debere, et irritum, et inane, si secus su-  
 per his à quoquam quavis auctoritate scienter, veligno-  
 ranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitu-  
 tionibus, et Ordinationibus Apostolicis, quibusuis etiam  
 iura.

*iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et consuetudinibus, Priviligijs quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, ceterisque contrarijs quibuscunque.*  
*Datum Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die undecima Ianuarij 1631. Pontificatus nostri anno Octavo.*

M. A. Maraldus.

A tergo. Dilecto filio Antonio Cerro Aulę nostrę Consistorialis, & Fisci, & Camerę Apostolicę Aduocato.

Postquam verò fuerit declaratum esse satisfactum dictis Decretis, si Sacra Congregatio coram Sanctitate Sua habēda censuerit esse locum probationibus recipiendis, committit aliquibus Episcopis Patrię, Vicinię, seū Prouincię illius, qui petitur canonizari, vt inquirant de fama, de deuotione Populi, de miraculis, & alijs denunciandis in genere tantum, & non in specie.

Huiusmodi Literę Remissoriales (si fieri potest) dirigi omnino debent Episcopis, & non minus quàm tribus, ita vt duo saltem ex illis interuenire debeant in Processu conficiendo, & pro forma tradi debet, vt Testes primò examinentur iuxtà Interrogatoria per Promotorem Fidei ex officio danda, & in Literis inserenda: deinde super Articulis in eisdem literis includendis:

For-

Formula **L**iterarum **R**emissorialium,  
& **C**ompulsorialium  
in genere.

**N.** *S. R. E. Cardinalis N. ac S. Rituum Congregationis Praefectus Vobis Illustr. & Admodum RR. DD. Episc. N. N. N. Iudicibus per Nos ad infra-scripta specialiter deputatis salutē in Dño, & in cōmissis obedientiā, ac Nostris huiusmodi, imò verius Sedis Apostolica firmiter obedire mandatis. Noueritis quod aliās S. D. N. per specialem Cōmissionem huic Sacr. Cōgregationi directā, Causā Beatificationis, & Canonizationis Serui Dei N. de N. cōmissi tenoris infra-scripti videlicet (hīc ponatur tenor Commissionis) & coram eadem Sacr. Congregatione exhibitis Processibus autoritate Ordinaria, seu ad perpetuam (ut dicitur) rei memoriam pluribus in locis confectis super Sanctitate vitae, virtutibus, & miraculis Serui Dei N. de N. una cum supplicibus libellis Sanctiss. D. N. Urbano Papa VII<sup>mo</sup> nomine N. N. N. porrectis, & ad eandem S. Congregat. ab eodem Sanctiss. transmissis, visis, & diligenter discussis, & examinatis huiusmodi Processibus ad relationem Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinalis N. coram Sanctitate Sua in Congregatione ad id specialiter destinata communi omnium voto, & consensu praedictorum Eminentissimorum, & Reuerendissimo-*

fimoꝝ DD. Cardinalium censuit Eadem Congrega-  
 tio, & decreuit, posse, si eidem Sanctiss. D. N. videatur  
 ad generalem Inquisitionem quoad famam tantum  
 per probationes deueniri, cui decreto Sanctiss. D. N. Vr-  
 banus Papa VIII. annuit, ideòq; in executionem eius-  
 dem decreti, ac vigore facultatis in præinserta commis-  
 sione eidem Congregationi concessa requisiti pro parte  
 dd. Oratorum, quatenus pro examinan. testibus tam  
 in Curia, quam extrà de gentibus, alijsquè in præinser-  
 ta Commissione narratis proban. et verifican. oportu-  
 nè providere dignaremur ad Dei gloriam, et S. R. E.  
 exaltationem. Volentes igitur ea, quæ à Sanctiss. D. N.  
 committuntur, et quæ in ipsa S. Congregatione statuta  
 sunt, debite executioni, ut par est, demandare: Expo-  
 sito Nobis in dicta Sac. Cōgregatione nonnullos testes in  
 Ciuitate, et Dioc. N. nec nò in locis adiacentibus adesse,  
 et reperiri de vita, sanctitate, et miraculis eiusdem Ser-  
 uii Dei N. notitiam habentes. Considerantes etiam  
 æquum, et iustum esse, Dei gloriam, quæ in suis seruis  
 resplendet, manifestam fieri, presentes literas ad Vos  
 dirigendas sub hac forma censuimus. Quamobrem  
 pro parte N. de N. Procuratoris in huiusmodi causa  
 deputati, prout de eius legitimo mandato docuit, exhi-  
 bitis nonnullis Positionibus, et Articulis continentibus  
 vitam, mores, virtutes, et miracula prædicti Serui  
 Dei N. illisquè per Nos admissis, Remissoriales, et Com-  
 pulsoriales presentes in genere dumtaxat, et non in spe-  
 cie,

cie, et quoad famam tantum super premissis concessimus; Vosque in Iudices exequutores illarum tam pro examinandis testibus, quam pro extrahendis scripturis necessarijs ad prefatū effectū solūmodo nominauimus, & constituimus. Idcirco vobis omnibus supradictis, de quorum fide, integritate, ac Religionis zelo, & perpetua, ac debita ergā hanc S. Sedem Apostolicam obedientia plurimum in Domino confidimus auctoritate Ordinaria huius Sacr. Congregationis, & respectiue Apostolica, qua fungimur in hac parte per presentes committimus; & mandamus, ut Vos, vel duo adminus ex Vobis coniunctim, & simul, ac non aliās, aliter, nec alio modo vice Nostra in singulis actibus procedentes, omnes, & singulos testes, literas, scripturas, instrumenta, monumenta, & alia quaeuis probationum genera, qui, seu quae coram Vobis, seu duobus saltem ex Vobis simul, & coniunctim, ut supra produci, & cōpulsari contigerit à personis legitima mandata procurae habentibus recipiatis, & iuxta interrogatoria à Promotore fidei hic in Curia data, ac super positionibus, & articulis in presentibus nostris contentis; quae, & quos sub sigillo nostro inclusos, & inclusa transmittimus in calce presentium registrañ in locis supra nominatis in Ecclesijs, aut Oratorijs, pijsque locis, exprimendo semper locū loci, respectu verò infirmorum quibuscumque alijs locis per Vos eligendis, seu deputandis pro Tribunali sedentes admittatis, receptoque prius in manibus vestris  
 ab

ab ipsis testibus cuiuscunque gradus, status, sexus, & conditionis etiam Sacerdotibus (exceptis Episcopis) existant, iuramento tactis Sacrosanctis Euangelijs coram Vobis ipsis positis, & non aliàs, aliter, nec alio modo, de veritate dicenda super ijs, super quibus examinabuntur, primò iuxta dicta interrogatoria, et deinde super positionibus, & articulis predictis per extensum coram Vobis, siue duobus saltem coniunctim, ac coram fide digno Notario publico Apostolico, seu Ecclesiastico à Vobis similiter deputando, qui coram vobis, seu duobus vestrum, & in manibus vestris solitum præbet iuramentum tactis Sacrosanctis Euangelijs de fideliter exercendo officium suum diligenter iuxta formam superius expressam, examinetis; hoc expressè seruato, quod testes in Ecclesijs, Oratorijs, pijsque locis, & in loco loci in iisdem deputato omninò interrogentur, eorumque dicta excipiantur: animaduertendo, vt ydem Testes quacunque habent, explanatè, & per extensum deponant, nec se referant ad attestaciones aliàs redditas, neque eis recitentur, quæ alias ipsi deposuerunt, cetera verò processus acta in loco solite audientie conficiantur, ipsorumque Testium attestaciones, dicta, depositiones, necnon acta, citationes, & actitata quacunque transcribi fideliter faciatis, necnon collationem, seu auscultationem suprædictorum omnium per vos ipsos Iudices, vel saltem duos ex vobis coniunctim adhibito alio Notario, qui etiam iuramentum præbet, vt supra, faciatis, omniaque clausa,



vestrisque sigillis, aut duorum vestrum munita praeiudicio  
 prius iuramento per fidelem Nuncium, seu Portitorem  
 prestito ad nos transmitti curesis. Significantes nobis  
 non solum generaliter qua fides testibus desuper exami-  
 natis sit adhibenda, sed etiam particulariter super his,  
 qua per eosdem Testes deposita fuerunt, & an in depo-  
 nendo aliquid viderint, per quod reddatur suspecta eo-  
 rum depositio; & an vobis videatur, quod ex predictis  
 possit deveniri ad specialem Inquisitionem. Decer-  
 nentes irritum, & inane quicquid contra formam pre-  
 sentis Remissionis scienter, vel ignoranter fuerit execu-  
 tum: Ut autem predicta omnia, & singula liberius  
 exequi valeatis, eadem auctoritate, qua supra, vobis  
 committimus, & mandamus, ut Nuncium, seu Nu-  
 cios pro citationibus faciendis, & alijs mandatis, &  
 decretis vestris exequen praeiudicio prius iuramento ab eis  
 recepto de fideliter exercendo officium suum, deputare  
 valeatis auctoritate nostra, eundemq. & testes prae-  
 fatos, ut se examini subiciant sub censuris, & poenis  
 Canonice, omni, & quacunque appellatione postposita,  
 omnibus iuris, & facti remedijs opportunis cogere, &  
 compellere valeatis, & eodem modo recusantes exhi-  
 bere scripturas ad causam facientes compellere valea-  
 tis, citato in omnibus actis D. N. Subpromotore Fidei  
 per Promotorem in Curia nominato, & non alias, ali-  
 ter, nec alio modo. Pro quibus omnibus exequendis ut  
 supra vestram diligentiam, & curam, & qualem de-  
 vobis

vobis speramus fidem adhibere, atque in premissis ita  
 vos gerere studeatis, cui & gratiam ab hac S. Con-  
 gregatione inire, & retributionem laboris vestri ab Ab-  
 tissimo pro Servis suis consequi possitis. In quorum om-  
 nium, & singulorum premissorum testimonium pre-  
 sentes manu nostra, necnon infrascripti Prothonotarij  
 apostolici de numero Participantium ad Acta Congre-  
 gationis pro tempore deputati, & eiusdem Sac. Congre-  
 gationis Rituum Secretarij, nostroq. solito sigillo muni-  
 tas fieri, expediri, & relaxari mandavimus per Acta  
 infrascripti Notarij eiusdem Sacrae Congregationis.  
 Dat. Roma in Palatio nostra solita Residantia Anno &c.  
 Indictione &c. Die &c. Pontificatus &c. presentib<sup>9</sup> &c.

**P**OSITIONES, & Articulos infrascriptos dat, exhibe-  
 bet, & producit Procurator, & eo nomine N. Regis  
 N. et N. ad docendū de fama, & devotione Populi, &  
 de miraculis, & alijs denuncian, & super his in genere  
 & non in specie, & quo ad famam tantum Servi Dei  
 N. & ad omnem alium bonum finem, & effectum,  
 petens illos ad proban admitti, literasquē de super oppor-  
 tunas pro examinand testibus ad Civitates, seu loca N.  
 & N. & ubi opus fuerit, cōcedi, non se adstringens &c.  
 ad onus superflua probationis, de quo expresse protesta-  
 tur, non solum premissis, sed & omni alio meliori mo-  
 do &c. salvo iure &c.

In primis igitur repetit omnes, & singulos Processus,  
 Instrumenta, Iura &c. in quantum tamen, & non

aliter &c. de quo &c. ex quibus credit satis abundè cō-  
 stare non solum de fama, deuotione Populi, & miracu-  
 lis, & alijs denunciandis in genere, & quoad famam  
 tantum, sed etiam in specie prædicti Serui Dei N. &  
 his saluis possit, & quatenus opus sit probare uult, &  
 intendit.

Hic inferendi sunt articuli concernentes locum  
 ubi natus sit Seruus Dei, tempus, & Parentes, vitam  
 & mortem illius.

Item quòd dictus Seruus Dei semper uixit cum fa-  
 ma sanctitatis, quæ continuauit, etiam post mortem,  
 & nunquam diminuta fuit, sed potius aucta non solum  
 in locis, ubi uixit, & mortuus fuit, sed etiam in alijs  
 vicinis, & remotis, & quòd istud fuit, & est publi-  
 cum, & notorium, & fuit, et est publica uox, & fama:

Item quòd eius corpus sepultum fuit in loco N. &  
 Ecclesia N. & semper, ac continuo fuit ad illud uene-  
 randum magnus concursus populi, & aliorum extero-  
 rum ad illud confluentium propter famam, & opinio-  
 nem sanctitatis illius, & quòd hoc fuit, et est publicum,  
 et notorium, ac fuit, et est publica uox, et fama.

Item quòd in locis ubi uixit, et mortuus fuit, ac  
 etiam in alijs semper dictus Seruus Dei habitus fuit in  
 magna ueneratione, et erga illum fuit maxima deuo-  
 tio non solum illorum, qui in dictis locis habitabant,  
 sed etiam aliorum exterorum, et quòd hoc fuit, et est pu-  
 blicum, et notorium, et fuit, et est publica uox, et fama.

Item

Item quòd fecit multa, et magna miracula non solum in vita, sed etiam post mortem, sanando infirmos ex omni genere infirmitatis, predicendo futura, et alia operando, quae naturaliter fieri minimè poterant, et quòd istud fuit, et est publicum, et notorium, ac fuit, et est publica vox, et fama.

Item quòd de praedictis omnibus non solum in dictis locis, ubi vixit, et mortuus fuit, sed etiam in alijs propinquis, et remotis, ac ubique locorum fuit semper, et nunc etiam est publica vox, et fama, et communis reputatio, quae semper inconcussa, et constans fuit, ita ut nunquam aliquid fuerit dictum, vel auditum, aut factum in contrarium.

**A**NTONIVS CERRVS S. Consistorialis Aule, ac Fisci, et Camera Apostolica Aduocatus in omnibus Causis Beatificationum, et Canonizationum Sanctorum à S. D. N. per eius Breue dat. in Vrbe sub die 2. Ianuarij 1631. specialiter deputatus petit, et instat testes inducendos, et examinandos in causa Beatificationis, et Canonizationis Servi Dei N. tam in Vrbe, quàm extra, et ubique locorum, pro parte, et ad instantiã Adm. R. D. N. N. huius causa Procuratoris, vel eius substitutorum super fama, et deuotione populi, et super miraculis, et alijs denunciandis, et super his in genere, et non in specie, et quo ad famam tantum Servi Dei N., ac denique super articulis in hac causa datis antequam super huiusmodi articulis examinentur praemisso

missio Iuramento tactis etc. et cum assistentia, et inter-  
uentu Subpromotoris Fidei per eum nominati super infra-  
scriptis Interrogatorijs fideliter, et separatim interrogari.

1 In primis serio moneatur quilibet Testis quantum-  
uis nobilis, et quacunque dignitate praeeditus de vi, et  
importantia Iuramenti, et gravitate periurij, praesertim  
in causis gravissimis, prout sunt ista Canonizationum  
Sanctorum.

2 Deinde interrogetur quilibet Testis, ut supra de  
nomine, cognomine, patria, etate, parentibus, exercitio,  
seu professione, divitijs, vel paupertate, et alijs circum-  
stantiis ad eius personam, et conditionem spectantibus.

3 Item an sit confessus peccata sua, et Sacre Eucha-  
ristie Sacramentum sumpserit, in qua Ecclesia a quo  
Sacerdote, quibus praesentibus, de quo mense, et anno  
ultima vice id fecerit.

4 Uterius an fuerit unquam inquisitus, accusatus,  
vel processatus de aliquo crimine, et quo, coram quo Iu-  
dice, de quo anno, et an semel, vel pluries, et an secu-  
ta sit absolutio, vel condemnatio, seu abolitio.

5 Similiter an ob aliquam causam fuerit unquam  
excommunicatus, et quoties, et ex qua causa, et an fue-  
rit absolutus, vel adhuc in eadem excommunicatione  
permaneat.

6 Rursus an fuerit ab aliquo instructus quomodo  
deponere debeat, et a quo, et quo loco, quibus verbis, et  
de quo tempore.

7 Amplius an sciat in qua Provincia, et Diœcesi sit Civitas N. si dixerit scire, illam exprimat, et dicat, an unquam accesserit ad talem Civitatem, seu locum, et ob quam causam.

8 Insuper an cognoscat, vel audierit nominare N. si responderit illum cognovisse, dicat quomodo, et qua occasione, in quo loco, de quo tempore, et an fuerit ipsum unquam alloquutus, et quoties, ac de quibus rebus, vel negotiis, et quibus presentibus, si verò dixerit illum audivisse nominare, dicat à quo, seu quibus, qua occasione, et ad quem finem, et effectum, et quoties id contigerit.

9 Pratered̄ interrogetur, an sciat in quo loco, & loco loci d. N. vitam suam egerit, & qua fama, & reputatio fuerit de eius vita, & sanctitate in dicto loco, & an eadem fama, & reputatio fuerit etiam in alijs locis, & quibus, & an fuerit continua, vel interpellata, & per quantum tempus duraverit, & an fuerit communis reputatio omnium de illo loco, vel aliquorum tantum, & an ipse testis idem reputaverit, & tam ipse, quam alij unquam secus senserint, aut aliter alios sentire audierit.

10 Interrogetur quoque, an sciat in quo loco, & loco loci, & quo tempore, & ex qua infirmitate dictus N. obierit, & an sciat ubi sit sepultum corpus eius, & an unquam ipse accesserit ad eius sepulchrum, & audierit alios ad illud accedere, & an semel, aut aliquoties tantum, vel frequenter, & sæpius, & an fama foret, quod talis

talis accessus fieret, quia reputaretur pro Sancto, & intercedere posset pro ipso, & alijs, & dicat à quibus, & quoties audiuerit, & an audiuerit, an diminutus fuerit concursus, vel potius auctus, & quotidie augeatur ab eo tempore, quo incepit.

11 Interrogari debet, an audiuerit, quòd Populus habeat deuotionem erga d. N. si dixerit, quòd sic dicat, qui populus fuerit, & an pars tantum, vel maior pars, aut totus populus, vnius tantum loci, vel plurium, & qui, et in quibus audiuerit consistere eorū deuotionem, à quo tempore dicatur incepisse, et an ab illo tempore audiuerit, quòd diminuta, vel potius aucta fuerit, et quotidie augeatur.

12 Interrogetur an dici audiuerit, quòd d. N. fuerit exactus obseruator mandatorum Dei, et Ecclesie, salutis animarum, et Dei gloria Zelator, amator virtutum, et laudabilis vite, et si dixerit audiuisse, interrogetur à quibus, quoties, et quibus in locis audiuerit.

13 Interrogetur an ipse sciat, quid sit miraculum, et explicet quid sit, et an audiuerit, quòd dictus N. quandoque fecerit miracula in vita, vel in morte, et à quibus, in quo loco, et loco loci audiuerit, et an fuerit communis reputatio, et fama, quòd dictus N. miracula fecerit, vel aliquorum tantum, et an alij reportarent contrarium, quòd miracula non fecerit, et quòd illa, que pro miraculis reputabatur, processerint ex medicamentis adhibitis, vel alia causa naturali.

14. *Ultimo generaliter interrogetur circa famam, an sciat quid sit fama, & an illa viguerit in aliqua parte populi; an verò in maiori, an orta sit ex probabilibus causis, vel potius fuerit vanus rumor populi. An habuerit originem à personis nimis affectis, vel suspectis, et interessatis, puta coniunctis, vel affinibus, amicis intrinsecis, religiosis eiusdem Ordinis, vel alijs quibuscunque, qui ratione Ecclesie, in qua corpus reperitur, vel ob aliquam aliam causam aliquod interesse saltem affectionis habere possint. An personæ, à quibus fama orta est, essent personæ graues, et fide dignæ, an potius leues, et ordinariæ, puta mulieres, rustici, et alijs idiota, vel ignari. An huiusmodi fama fuerit constans, et perpetua, quæ semper durauerit, vel breui, et per modicum tempus, et cità euauerit. An contra huiusmodi famam fuerit unquam aliquid dictum, factum, vel auditum in contrarium. Denique, an huiusmodi fama viguerit non solum in loco, ubi dictus N. vixit, vel mortuus fuit, sed etiã in alijs locis, et in quibus, vel potius in alijs locis non autem in eo in quo vixit, vel mortuus fuit, vel è contra fuerit tantum in loco, in quo vixit, et mortuus fuit, non autem in alijs locis, et unde hoc processerit, quòd fama non fuerit in omnibus locis, et maxime in eo, in quo vixit, vel mortuus fuit.*

In hac prima Remissoria super inquisitione generali fieri solet magnum fundamentum, & meritò, quia si non probetur fama sanctitatis in lo-



co præsertim vbi mortuus fuit ille, pro quo instatur, concedi non debet Remissoria super inquisitione in specie, & propterea nunquam debet omitti hæc inquisitio in genere; Et est aduertendum, quod non prius conceditur Commissio inquisitionis specialis, quam sit absoluta omnino inquisitio generalis, super qua si Episcopi deputati vltra Processum, quem transmittere debent, rescripserint Sacre Rituum Congregationi talia, per quæ videatur, quod inquisitio committi debeat in specie super veritate eorundem, tunc proponi debet negocium in Congregatione haberi coram Sanctitate Sua ad effectum, vt Sanctitas Sua (si ei videbitur) requisito Consilio Cardinalium Congregationis possit definire, vtrum inquisitio specialis sit committenda, vel non; quod si committenda videbitur, iterum erit committendum eisdem Episcopis, vel alijs, prout magis expediens iudicabitur, vt veritatem inquirant: Primo de fama: secundo de vita: tertio de miraculis exactè, diligenter, fideliter, & prudenter, secundum articulos transmittendos, & interrogatoria inferenda in Literis Remissorialibus mittendis clausis, & obsignatis Episcopis deputandis, qui Processum conficere debent citato Subpromotore Fidei nominando à Promotore Generali.

For-

51

## Formula Literarum Remissorialium, & Compulsorialium in specie

est eadem, quæ supra posita in genere, solum mutato verbo (genere) in specie, & ulterius in fine ante vers. *Pro quibus omnibus exequendis*, superadditur facultas visita<sup>n</sup> Sepulchrum per infra scripta verba.

*Insuper vobis Iudicibus predictis et supra commit-  
timus, & mandamus, et pro finali complemento pre-  
missorum, Sepulchrum, seu tumbam, in quo, seu in  
qua dicitur reconditum corpus dicti Servi Dei, & alias  
eius memorias adhuc existentes visitetis, atque aperia-  
tis, illudque, & illas cum omnibus, & singulis suis  
circumstantiis, & qualitatibus recognoscatis, & descri-  
batis, recognoscique, & describi faciatis, nec quiuis  
alius cuiuscunque fuerit status, dignitatis, & conditio-  
nis, etiam Ducalis, Arciducalis, & Regiæ, Ecclesiasti-  
cæ, vel Laicalis Dignitatis aliquid in dicto Sepulchro,  
seu tumba ponere, vel ex eo, seu ea subtrahere, auferre,  
vel subijcere, etiam ex deuotione audeat, vel presumat  
sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eo ipso au-  
toritate eiusdem S. Congregationis, de qua supra, incur-  
renda, à qua non nisi à Romano Pontifice possit absolui,  
sed omnia prout in visitatione, & recognitione huius-  
modi fuerunt inuenta, eodem in statu, modo, & loco  
relinquatur, & in suo pristino statu reponantur. Actus*

G 2 autem

autem visitationis, & recognitionis huiusmodi respectu Sepulchri secreta fiat adhibitis tantum ijs personis cum dicto Subpromotore Fidei, quæ vobis videbuntur pro testimonio ferendo de repertis, ut concursus Populi, & omnis occasio, vel offensionis, vel periculi euitetur. Forma verò Articulorum hinc non ponitur, quia in qualibet causa debent exhiberi à Procuratore partis, super quibus Promotor Fidei debet formare Interrogatoria, cum eisdem articulis in Literis Remissorialibus transmittenda, vt supra dictum est.

Est etiam obseruandum in executione vtriusq. Remissoriæ generalis scilicet, & specialis, quòd iuramentum præstetur tactis sacris Scripturis ab omnibus Testibus, etiã Sacerdotibus, & Prælatibus, exceptis Cardinalibus, & Episcopis, quorum iuramentum sufficiat tacto pectore, & examen fiat in aliqua Ecclesia, vel loco pio Deo dicato, nisi infirmitas Testis, vel alia vrgens necessitas aliud suadeat.

Nec prætereundum est, quòd in Commissionibus Summi Pontificis S. Rituum Congregationi directis apponi debet clausula, quòd quando erunt conficiendi Processus, & examinandi Testes in Curia, eadem S. Congregatio subdelegare debeat S. D. N. Papæ Cardinalem Vicarium, qui per se, seu ipso impedito per alios tantum Episcopos, ab eo deputandos, capiat informationes necessarias cum interuentu Prothonotarij pro tempore Sacr.

Ri-

Rituum Congregationi destinatum. Postquam verò per Episcopos Commissarios fuerit remissum ad S. Rituum Congregationem, & Secretario eiusdem consignatum sub sigillis clausum quicquid ipsi inuenerint in inquisitione speciali; si processus fuerint Serui Dei, qui infra quinquaginta annos obierit, videndum erit tantum de illorum validitate, prout supra disponitur; si verò dicti Processus fuerint alicuius Serui Dei, qui supra quinquaginta annos decesserit, cognito prius in Congregatione, vt supra habenda coram Sanctissimo, An sint in statu, quo possint ad Rotam transmitti, tunc ad eandem Rotam transmittantur ad effectum cognoscendi de validitate, de virtutibus, & de miraculis, atque de eisdem Rotæ Auditores facere debent relationem Summo Pontifici, nisi S. Congregatio super præmissis pronunciauerit.

Rotæ Auditores, quibus Causæ fuerint commissæ, formare debent rubricas de ijs, quæ in Processibus continentur, non tamen, in relationibus proferre eorum vota consultiua, quæ seruari debent aperienda in Congregationibus, vt supra faciendis.

**I**N Processibus faciendis illud maximè, & præcipuè obseruandum est, vt videatur exitus vite illius qui petitur canonizari, quoniã, cum (vt dici solet) exitus acta probet, si finis vite illustris, & sanctimo-

nia

nia plenus, & publica præsertim reſtificatione notatus, argumētum erit, quòd actiones antea actæ poterunt eſſe ſanctæ, & ideo in formandis Articulis videndum eſt, qualis fuerit vitæ exitus, & qualibus circumſtanrijs Sanctitatis ſit munitus, nam in hoc Articulo magnum Cauſæ pondus conſiſtit.

Magnopere etiam conſiderari debet antequam ad aliquos actus deueniatur, vt exploretur in loco vbi mortuus fuit, vel requieſcit ille, pro quo petitur Canonizatio; Si ad præſens fuerit, & vigeat communis reputatio, & fama Sanctitatis, & vnde ortum habuerit; An ſponte homines ad veneracionem, an verò arte, & diligentia humana procuretur id exhiberi, quod non procuratum non exhiberetur.

Præterea illud etiam diligentiffimè indagandum eſt, an ille, vel illa, pro cuius Canonizatione inſtatur, ſcripſerit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid ſimile, nam ſi ſcripſiſſe conſtiterit, nõ prius eſt ad aliquem actum inquisitionis deueniendum, quàm tales libri diligentè in S. Congregatione examinentur, vtrùm contineant errores contra fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam nouam, & peregrinam, atquè à communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam.

Pro habenda certiori veritate Virtutum, ſanctitatis vitæ, & miraculorum Seruorum Dei, pro quorum

rum

rum Canonizatione instatur, mandauit Sanctissimus non deberi in futurum procedi ad Canonizationem alicuius, qui aliqua ueneratione, vel titulo Beati sit decoratus, nisi prius in eadem Sacra Congregatione coram Sanctitate Sua fuerit iterum per Cardinalem in ordine ponentem facta plena, & distincta relatio non modo eorum, quæ in Processibus, & alijs scripturis continentur, & quæ illi per Summos Põtifices intuitu ipsius uenerationis elargita fuerunt, verùm etiam eorum, quæ superuenerunt post concessam eidem uenerationem, de quibus constare possit ad hoc, vt ex prædictis omnibus valeat Summus Pontifex deliberare, An sit procedendum ad Canonizationem.

Idem obseruandum circa Processus fabricatos ante publicationem præsentium Decretorum, quia antequam ad vltiora deueniatur, docendum erit de paritione prædictorum Decretorum Sanctissimæ Inquisitionis, & videndum; An Processus fuerint per æquipollens sufficienter instructi, & ideo formandum erit Dubium; An sit procedendum ad vltiora.

Processus omnes in eadem S. Congregatione præsentati, sigillati, & clausi per Secretarium consignari debent Notario eiusdem Congregationis, deferendi ad Prothonotarium deputatum ad acta Canonizationum, per quem præcedente Decreto

S. Con-

S. Congregationis, & citato prius Promotore Fidei  
seruatique seruandis aperiri debent.

Vt obuiaretur multis alijs abusi-  
bus fuit conscri-  
pta Epistola particularis pro Nuncijs Apostolicis  
vbique degentibus, & alia circularis cum infertio-  
ne, infra scripti Decreti mittenda Patriarchis, Ar-  
chiepiscopis, & Episcopis vltra, & citra montes.

### Literæ pro Nuncijs.

**A**dmōdum Illustris, & Reuerendissime Domine  
Cum Sacra Rituum Congregatio matura habita  
consideratione iudicauerit, si Pontificij per Europam Nū-  
cij se se ingerant in excipiendis inquisitionibus de integri-  
tate vite, virtutibus, atque miraculis Viri cuiuspiam  
cum aliqua sanctitatis fama defuncti facile futurum,  
ut progressionē temporis, præsumpta palam opinione, vi-  
deantur huiusmodi acta tanquam habere pondus Aposto-  
licæ auctoritatis. Ideo Sacra eadem Congregatio (re-  
prius ad Sanctissimum relata) censuit Dominationi tue  
in memoriam reuocandum, ne vllius omninò hominum  
rogatu impulsue ducatur in posterum, ut apud tuum Tri-  
bunal, & ab alijs tua auctoritate suffultis, de huius ge-  
neris rebus agi, atque inquiri permittat, nisi eadem Con-  
gregatio per Literas Remissoriales, & Compulsoriales, que  
quauis alia ratione per te ipsū fieri debere speciūliter signi-  
ficet; Et ne aliquis in tam graui negotio subrepat abusus,  
iussit

iussit eadem Congregatio Amplitudinem tuam hac Epistola fieri certiozem de ijs, quæ continentur in adiuncto Decreto, ut curet ab omnibus omnino obseruari. Sacre igitur Congregationis sensum libenter sequetur Dom. tua, quam interim Deus incolumem, prosperamque conseruet. Datum Roma die 12. Martij 1631.

Amplitudinis tue.

Vti Frater.

### DECRETUM.

**C**VM in tota Ecclesie gubernatione nihil maius, nihil sit augustius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, ut potè homines iam demortuos, etiã cum fama sanctitatis, ac miraculorum declarare pro Sanctis, eosque vti tales colendos, & venerandos decernere.

Sacra Rituum Congregatio, vires hac planè amplissima, atque grauissima ritè, sanctèque conficiatur, prohibet omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, iamque Secularibus, quàm Regularibus, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Societatis Iesu, vel aliorum quantumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios, capere, informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque vltro modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudicialos testificationes, aut subscriptiones sub pœnis arbitrio S. Congregationis infligen. Quod si superiori, Sacristæ, seu alteri

.....

H

offi-



officiali illius Ecclesie, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesie, fuerint reuelata aliqua miracula, seu prophetia dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur; teneantur tamen quantum primum commodè poterunt, eadem deferre, vel ob signata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quòd reuelationes sic, ut supra recepte, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusvis longissimi temporis cursu.

Quod Decretum cum fuerit ad notitiam Sanctissimi D. N. URBANI Pape VIII. deductum, Sanctitas Sua illud approbavit, ac imprimi, & ubique publicari mandauit. Die, & loco, in Marij.

## Literæ pro Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis.

**A**dmotum Illustris, & Reuerendissime Domine. Cum quotidie magis notum fiat quanta sinceritate mentis, & maturitate cognitionis incipere, & proficui deceat eorum causas, qui diem vltimum obire, non sine aliqua populis relicta opinione sanctitatis, & quam accurate, fideliterque in re tanti momenti adhiberi testes & in examen vocari conueniat, Sacra Rituum Congregatio (facto prius verbo cum Sanctissimo) ne aliquis subrepat abusus, iussit Amplitudinem tuam hac peculiari

culiari Epistola fieri certiorum de his, qua in adiuncto  
 Decreto continentur, nempe ut curet, ne in posterum  
 nulla ex parte aduersus illud à quopiam in tua Diocesi  
 aliquid committatur, sed ab omnibus omnino inuolabi-  
 liter obseruetur; Et quando apud Amplitudinem tuam  
 ab aliquo petatur sciri, ut velit inquirere in sanctita-  
 tem vite, et miracula alicuius, qui cum predicta fa-  
 ma obijse dicatur: Quoniam nimia plerumque pro-  
 elicitas, atque celeritas occasionem errori prabet, non  
 prius generaliter super vite sanctitate inquiri permittat,  
 quam particulariter de alicuius virtutis eminenti gra-  
 du, aut peculiari aliquo miraculo, procedat fama com-  
 probatio, prout praesentia tua magis expedire videbitur.  
 Quod per te ipsum exequi Sacra Congregatio summo per-  
 exoptat; Sed si ob inueterudinem, siue ob legitimum  
 aliud, et graue impedimentum id conficere non valebis,  
 super quo conscientiam tuam onerat eadem Congregatio,  
 poterit Amplitudo tua delegare Vicarium tuum genera-  
 lem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, qui  
 delegatus siue ille sit Vicarius, siue cuiuscumque dignita-  
 tis cum alijs ad minus duobus doctis viris, altero si-  
 licet Magistro in Theologia, altero vero graduato, vel  
 lice antiato in Iure canonico, rem totam ita peragere de-  
 beant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptio-  
 nem cuiuscumque testis, antequam discedant à loco ipsius  
 examinis. Curabit insuper Amplitudo tua, ut testes  
 omnes quacumque habent, explanate, et per extensum

deponant, nec se referant ad auctoritates redditas neque  
 eis recitentur, quæ aliàs ipsi deposuerunt; Postquam  
 vero fuerint per Amplitudinem tuam, vel per alios à te  
 ex causis supra narratis subrogatos acta completa, secre-  
 to retineantur, præficto etiam iuramento à Notarijs, &  
 testibus se nemini promulgaturos quicquid ipsi scripse-  
 rint, & respectivè deposuerint, vel de quibus interroga-  
 ti fuerint. De his autem actis per te, aut iussu tuo con-  
 fectis certiorum statim reddere debet Amplitudo tua  
 Summum Pontificem, eaque quanto citius poterit au-  
 thenticè transcripta, ac sigillo obsignata ad S. Rituum  
 Congregationem transmittere. Originalia vero eodem  
 modo consignata, & in capsula clausa pluribus clavibus,  
 quæ diversis ad arbitrium tuum custodiendæ tradantur,  
 in Archivio Patriarchali conserventur. Notum tamen  
 sit Amplitudini tue, neque per hanc Epistolam, neque  
 per aliquid in ea propositum voluisse Summum Pontifi-  
 cem, neque Sacram Rituum Congregationem tribuere  
 aut augere iurisdictionem, seu facultatem, quæ aliàs  
 Episcopis competere possent. Atque ut haec nulla in  
 posterum oblivione deleantur, sed semper in recorda-  
 tione vigent, & tua, & tuorum deinceps successorum,  
 dabit operam Amplitudo tua, ut ille quanto citius tam  
 in Curia tua Patriarchali, quam in Archivio Capitulari  
 ad perpetuam rei memoriam aserventur Vale. Datum  
 Roma die 12. Martij 1631.

Amplitudinis tue.

Vti frater.

De-

Declarando per huiusmodi Decreta, & ordina-  
 tiones non censi Ordinarijs aliquam nouam fa-  
 cultatem concessam, vltra eam, quæ de iure eis  
 comperit.

Postquam verò Apostolica Sedes apposuerit  
 manum in aliqua ex prædictis Causis non poterit  
 Ordinarius amplius in ea quoquomodo se intro-  
 mittere, nec etiam ad effectum conficiendi parti-  
 cularem Processum super cultu non adhibito, qui  
 formandus erit per eum, cui per Summum Pontifi-  
 ficam, vel per Sacram Rituum Congregationem,  
 huiusmodi facultas fuerit delegata.

Relationes Auditorum Rotæ, Informationes in  
 Facto, & in Iure, & aliæ quæcumque Scripturæ tra-  
 ctae de Causis Beatificationum, & Canoniza-  
 tionum imprimi omninò prohibentur ante ea-  
 rundem Causarum terminatorem.

Decreta super hac materia extendenda per Se-  
 cretarium S. Congregationis concipiantur semper  
 nomine Congregationis per verbum (*Videtur*) vel  
 simile, seruata in vnoquoque negotio suprema  
 determinatione Summi Pontificis post factam re-  
 lationem Sanctitati Suae.

Quando Cardinales Ponentes Causarum erunt  
 absentes à Curia, pro interponendis Decretis ne-  
 cessarijs in causis huiusmodi poterit adiri Cardi-  
 nalis Præfectus pro tempore Sacræ Congregatio-

nis, vt illa interponat pro Cardinali absente.

Promotor Fidei (vt melius huiusmodi Cause in posterum discutiantur) teneatur in scriptis proponere difficultates eorum, quę continentur in quolibet Processu.

Substituto Promotoris Fidei pro quolibet Processu ab eodem Substituto examinanda, per Procuratores Causarum persoluatur stipendium decem ducatorum.

**S**ANCTISSIMO D. N. sic annuente indultum est Prothonotarijs de numero participantium.

Primò, quòd in Processibus fabricandis, & precipuè in examinandis Testibus super Martyrio alicuius Serui Dei hic in Curia omnino interuenire debeat R. P. D. Prothonotarius pro tempore S. Congregationis.

Secundò, quòd examen prædictum debeat esse subscriptum ab ipso D. Prothonotario, aliàs examen nullam faciat fidem.

Tertiò, quòd Notarius, qui examen prædictum recipiet in hoc actu ipsi Domino Prothonotario subordinatus censeatur, & reputetur.

Item mandatum est, vt declamationes de rebus profanis, & plerumquè de atrocioribus criminibus confectis, & imaginarijs, quę fieri solebant in Consistorio publico ab Aule Consistorialis Advocatis, quando Legati Sedis Apostolicę in eorum

red-

reditu ad Urbem excipiuntur in eodem Confistorio, vel quando per Summum Pontificem tradūtur Pilei Cardinalitij nouis Cardinalibus creatis, vel admittuntur Legati Principum ad præstandam obedientiam Sedi Apostolicæ, abrogentur omnino, & earum loco subrogentur propositiones Causarum Seruorum Dei, qui fama sanctitatis cōspicui mereantur adscribi in numero Sanctorum, siue Beatorum, pro quibus poterunt instare apud Summum Pontificem Aduocati, petendo committi, prosequi, vel expediri respectiuè Causas arbitrio Sanctitatis Sux.

Et facta per me Secretarium infra scriptum de præmissis omnibus relatione Sanctissimo cum interuentu R. P. D. Cerri Fidei Promotoris, Sanctitas Sua approbavit, abrogando ea, quæ his contraria existunt, & imprimi mandauit. Hac die xij. Martij 1642.

**I. Card. Sacchettus.**

Loco ✱ sigilli.

*Julius Cincius Secr.*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

BIBLIOTECA

DE

MONTSERRAT

\_\_\_\_\_ F  
Varia *Octau* \_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_ 137 \_\_\_\_\_  
Número *4* \_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT



13020100019086



